



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Campidona, Kempten/ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

CAMPIDONA, **Kempten** / vel Campidonense ordinis D. Benedicti monasterium magnificum ac præpotens in Rætia, vel Rætiae potius particula, Illergovia (quæ Sueviæ meo iudicio rectius annumeraretur) extra ejusdem nominis imperialem longeq; vetustissimam civitatem situm, fundatum est pro nobilibus ac illustribus viris Deo & Ecclesiæ Dei servituris anno Christi 777. à **Domina Hildegarde Regina**, **Caroli Magni** laudatissimi Regis, tum verò nondum Imperatoris tertia, & omnium, ut veteres scriptores unanimi consensu omnes affirmant, charissima conjuge, quæ filia erat **Hildebrandi**, potentissimi Suevorum Ducis, & **Regardæ**, **Bavarorum** ducissæ, nata in **Andechs**, **Bavariæ** arce, patris sui **Hildebrandi** præcipua sede, quæ quinç; miliaribus à **Monaco** hodiè distans, sancti **Montis Andecensis** ob vetustitatem nimirum titulo honorata est. Donatum est libertatibus maximis à summo Pontifice **Adriano**, à quo etiam consecratum ac dedicatum est anno Domini 777. undecima Maij, **Dominicæ Ascensionis** sacra, cum is Imperatricem ex Italia in Germaniam sequutus esset, trecentis & quinquaginta Cardinalibus, Episcopis & Abbatibus comitatus.

Primum ejus loci **Abbatem** ipsa designavit fundatrix, virum eruditione & pietate præstantem, **Andelgarium**, quem aliqui **Amelgarium** vocant, & **Rolandi**, omnium Gallorum bellicosissimi Ducis, filium fuisse affirmant. Hinc ista coenobii inscriptio nata, quæ anno 1484. columnæ indita, ambulantis per ambitum obvia est.

Hildegardis 773. fundavit.

Carolus 774. confirmavit.

Adrianus 777. dedicavit.

Andelgarius 778. inchoavit.

Sed nos cum in optimæ fundatricis honorem, tum ob alias etiam rationes plurimas (antequam ad monasterii & Abbatum annales accedamus) genealogias quasdam & fundatricis ex Sueviæ omnium vetustissimis Ducibus natæ & fundatoris **Caroli Magni** præmittamus, ex quibus antiqua etiam civitatis **Campidonensis**

M

nensis

Benedictij
Chronologia
Monasterio
in Germani
S. III

nensis origo, & quòd Sueviæ potius, quàm Rhetiaë illa annu-
meranda sit, luculenter patebit.

*Suevia
unde di-
cta.*

Sævenus vel Sævus, tyrannus quidam præpotens (à quo Sue-
vis, populo feroci, strenuo, severo, martio ac bellicoso olim,
nomen hoc inditum antiquitus creditur) cum ingenti multitudine
eam terram, quæ ad Wertachium, Lycum ac Hilarum am-
nes sita est, ingressus esset ac à suo nomine *Sæviam* appellasset,
condidisse legitur in eo ipso tractu (quem nos hodie sive ab Ale-
mannis, ut aliqui volunt, *Almangoviam*, sive Alpium vicinitate
Alpogoviam, & corrupta abbreviatæq; voce *Alpogam* vocamus)
& eo ipso loco, ubi nunc Campidoni, linei panni madefacti & in
pratis ad Solem extensi albicari solent, civitatem, de suo nomine
Sævam initio vel Sævenam dictam, ut ibi jus diceretur collectæ
Sævorum ac Martiorum hominum, vicina loca jam sub se duce
excolenti, multitudini. Et hanc urbem, exceptis Treveri, Bar-
dewico & Augusta, omnium Germaniæ vetustissimam esse, ne-
mini dubium sit. Hæc ipsa postea multorum annorum successu
ab Hermino vel Herminio, aut, ut alii vocant, Vermino duce
quodam Suevorum aucta & ampliata, novo nomine Vermetta
vel Hermetta appellata reperitur. Qua tandem Augusti Cæsa-
ris temporibus à Tiberio vel ejus fratre Druso everfa ac funditus
delæta, constructa est deinde post multorum annorum curricula
ab alio Sævorum vel Suevorum duce quodam *Esnero*, primo ad

*Alpogam
unde.*

*Arx Hi-
lermon-
tana.
Burgbal-
den.*

*Campo-
duni un-
de dictum
Cisa, Deo
Suevo-
rum.*

Christum converso, in vicino colle Arx Hilermontana, à præter-
fluente fluvio Hilario nimirum sic dicta: quam, hoc tempore dis-
jectam etiam & vastam, Campidonenses cives *die Burgalden*
appellare solent. Ad hunc ducem Esnerum venerunt Hilari-
mnis & vicinarum Alpium accolæ, petentes spacia ad constru-
endas prope novam arcem novas etiam ædes: quibus cum ille
adjacentem surgenti sedi suæ campum omnem liberaliter donaf-
set ac viritim distribuisset, nova urbs condita & à donato hoc
campo Campidonium denominata est. Fuerat vero in eo colle
(antequam arcis fundamenta ponerentur à duce Esnero) fanum
Cisæ, Deæ ethnicæ, ducentis annis ante Christi incarnationem
illic à Suevis conditum. Id anno Christi 316. (ejecto & confracto
genti-

gentilitio Idolo) à Silvestro primo, P. M. Christo sanctisq; ejus Apostolis, Philippo ac Jacobo, inauguratum ac dedicatum esse legitur. In hac arce Hilermontana postea Sueviæ duces, Hilbrandus, Gotfridus, Hobingus, Nebus, Imanus & Hildebrandus secundus vixerunt ac habitarunt, ita ut hæc arx avita sedes fuerit Sueviæ Ducum ad tempora usque Caroli Magni. Hildebrandus iste secundus, ducta uxore Bayara, Domina Regarde, excepit ex ea

Sueviæ duces.

D. ADELINDIN, natam in arce Andechs, desponsatam Domino Othoni, Comiti Tragentino & Caldariensi, fundatricem amplissimi Canonissarum Collegii Buchaugiensis, prope Biberacum siti.

D. HILDEGARDIN, & ipsam anno 732. in arce Andecensi natam, ipsa die S. Sabinæ, Carolo Magno Francorum Regi, nondum Cæsari, desponsatam, fundatricem Monasterii Campidonensis.

D. ULRICUM, gemellum cum Domina Hildegarde, eodem die natum, qui Episcopus tandem Laufannæ designatus legitur.

Sequitur Genealogia Caroli Magni, ex variis probatissimis Autoribus & annotationibus collecta.

ANSBERTUS primus Marchio Andoverpianus fuit : ex quo genitus legitur Arnoldus, Marchio secundus : cujus filius fuisse scribitur Arnoldus, Marchio tertius : ex quo prodiit Anchifus, quartus Marchio : qui ex Begga, Brabantia ducissa, excepit

PIPINUM seniore vel grossum : cujus ex Alpaide concubina filius fuit CAROLUS Martellus : hujus Caroli legitimus filius fuit PIPINUS Puffillus, Major domus cognominatus : qui à Zacharia Pontifice Rom. (ejecto & in monasterium intruso Rege Hilderico) Francorum Rex designatus est. Huic Pipino nati sunt ex legitimis duabus uxoribus

D. BERTHA, alibi Bertada, Heraclii Constantinopoliani Imperatoris filia.

D. LEUTBURGI vel Talatina, femina Saxonica,

LEO. RAPATO. TALANDUS. Hildegardi Reginae injurius.

M 2

CARO.

Ulrich

Chronologia
Monasteria
S. M

1. CAROLOMANNUS.
2. BIAMANNUS.
3. CAROLUS Magnus, Francorum Rex & tandem Imperator Romanorum.
4. BERTHA, Rolandi, omnium Gallorum fortissimi principis mater.
5. ROTHAIIS, Meti ad S. Arnulphum humata.
6. ADA, Treveri in monasterio & primario templo S. Maximi sub niveo marmore sepulta cum tali Epigraphe: ADA, ANCILLA CHRISTI, SOROR CAROLI MAGNI.
7. GISELA, sanctæ conversationis virgo, Carolo Magno fratri semper charissima, & defuncta Bertha, matris loco semper ab eo culta.
8. ADELHAIMIS, Meti ad S. Arnulphum sepulta.
9. SIMPHORIANA, Amberto vel Ambrechto, Lotharingorum duci, desponsata, quem parentem ipsa fecit
(Rotolandi, Lotharingorum ducis.
Filiorum Simberti, Abbatis Murbacensis, tandemq; Episcopi Augu-
Vigete. (stani.
Filiarum Rorinæ, quæ Nothardo, Suevorum duci, nupsit, magno Cam-
vero Talatine. (pidonensis Cænobii benefactori.
Carolus Magnus consequutus est ex legitimis uxoribus

1.	2.	3.	4.	5.
<i>Galiæna</i>	<i>Hermingarde,</i>	<i>Hildegarde,</i>	<i>Fastrada, Ra-</i>	<i>Luitgarde,</i>
<i>Hispa-</i>	<i>Desiderii</i>	<i>Suevorum</i>	<i>toli Comitis</i>	<i>nobiliSue-</i>
<i>na, Ga-</i>	<i>Longobar-</i>	<i>Ducissa &</i>	<i>apud Ostro-</i>	<i>va, sed ste-</i>
<i>latriæ</i>	<i>dorum Regis</i>	<i>fundatrice</i>	<i>francos filia</i>	<i>rili, nihil,</i>
<i>Toleta-</i>	<i>filia, à seite-</i>	<i>Campido-</i>	<i>Theodo-</i>	<i>Hiltru-</i>
<i>ni Re-</i>	<i>rum repu-</i>	<i>nenfi libe-</i>	<i>retam. din.</i>	<i>iden.</i>
<i>gis filia,</i>	<i>diata, etiam</i>	<i>ralissima,</i>		
<i>nullam</i>	<i>nihil.</i>			
<i>prolem.</i>				

PIPINUM,	CARO-	LOTHA-	LUDOVI-	1. BERTHAM,
Italiæ Re-	LUM,	RIUM,	CUM, A-	2. <i>Gisela</i> , per-
gem Bava-	Galliæ ci-	gemellum	quitaniæ	petuæ virginitati
riæque du-	terioris	cum Ludo-	Regē, post-	devotam, monia-
cem, qui	Regem.	vico.	ea Impera-	lem.
exRutrud,			torem, co-	3. <i>Hildegardin</i> ,
conjugē			gnomento	puellam unius an-
Græca, ex-			Pium, qui ex	ni, prope Medio-

cepit Bern-
hardum, A-
delaam, A-
delbaidin
Gundardam,
Berebaiden,
& Theodo-
retam, fun-
datricem
Schwarza-
centis mo-
nasterii
Monialiu.

Hermin-
garde, Sa-
xonie du-
cissa, qua-
tuor filios
excepit &
filiam Hil-
degardin,
Mediola-
nensium
Duci nu-
ptam.

matricum urbem ad S. Arnul-
phum sepultam.
4. Adelbaidin & ipsam parvu-
lam, eodem loco extra Metin
humatam.
5. Bellixandam.
6. Immam, portatricem Einhar-
di, Notarii & Scribæ Imperato-
rii, eidem postea à Carolo pa-
tre desponsatam, fundatricem
monasterii Seligenstaden-
sis in Ostrofrancis.
7. Gertrudin & 8. Rotrudin.

EX concubinis vero & pellicibus post defunctas legitimas
uxores: videlicet, ex

1. GERSWINDA, Saxonici generis admodum pulchra puella,
Adeltrudin filiam.
2. REGINA, alibi Robeda dicta, filios duos: Drogonem, Archie-
piscopum Metensem in Cœnobio S. Arnulphi humo mandatum, & Hu-
gonem.
3. ADELINDE, filium Theodoricum.
4. HIMELTRUDE, filium unicum Pipinum Gibbosum, seditio-
sum in Patrem, ac iccirco monasterio intrusum.
5. ROTHILDE vel Richilde, filias Adelrodin, Roynam, Ade-
lindin.

Sed redeamus nunc ad D. Hildegardin fundatricem, & oc-
casionem rationemque conditi talis cœnobii aperiamus, quæ
Campidoni in veteribus monasterii annalibus sic in literas relata
reperitur.

Ajunt, Carolo Magno fratrem fuisse ex noverca, Leutburga, Talandus,
Talandum nomine: cui ad bellum Saxonicum abiens Rex, & Caroli
Hildegardin conjugem suam & Regnum ipsum quoq; totum M. fra-
commendat. Flagrante vero Talandum amore commendatæ ter, uxori
sibi Reginae tantopere, ut noctem etiam ac concubitus aliquoties illius su-
ausus fuisset ab ea petere. Quos cum regina negaret, & sibi ta- prum in-
men à Talando nunquam non instante plurimum metueret, di- ferre
xit aliquando petenti, ut singulare solitariumq; conclave aliquod vult.
fieri

Arnulphi

Chronologia
Monasterio
S. M

feri sibi curaret, in quo latenter amoribus perfrui & secure deli-
 ciari liceret, tum sese ei gratificaturam libentius. Talandus
 serio loqui Reginam existimans, jamq; magis ardens (quod jus-
 serat Regina) studiose & expedite facit, pulcherrimum planeq;
 regium cubiculum in loco, a reliquis ædificiis paulo remotiore,
 construi curat, ad quod etiam non nisi per tres januas perveniri
 poterat. Ad id solito more iterum sollicitata ac invitata Regina,
 una cum amatore quasi ingressura accedit. Ut vero ad tertiam
 januam ventum esset, manu fores tenens Regina Talandum hi-
 lari vultu quasi & ipsa jam voti sui compos facta, præcedere ju-
 bet. Ille nihil cunctatus, nec doli quidquam in tali loco suspi-
 cans, sed sequuturam confestim Dominam sperans, lætus ingre-
 ditur: ibi ipsa muliebris astutiæ non ignara, januam post ama-
 torem claudens & pessulo muniens in adventum usq; mariti sui
 Caroli, Talandum eo ipso loco inter dira jejunia captivum deti-
 nendum censet. Elapsis aliquot mensibus, cum ex præcursoribus
 regiis audit Regina adventare victorem è Saxonia Carolum, læ-
 titia & gaudio plena, ut omnes sui gaudii participes faciat, Ta-
 landum etiam, delicti veniam multoties petentem, multiplici-
 bus ejus precibus evicta & exorata, clementer è custodia dimittit,
 nihil sibi quidquam ab eo amplius metuens, ut quæ nullius ma-
 li sibi concia esset.

*Hilde-
 gardin
 uxorem
 Caroli
 M. Ta-
 landus
 falso ad-
 ulterii
 ream ar-
 guit.*

Venienti Carolo primus occurrit Talandus, ut cui provincia
 administrandi regni & custodiendæ Reginæ fuisset data. Is præ-
 veniri sese timens à Regina, ipsam commentitiis querelis præve-
 nire maluit. Percontanti itaque Carolo, ecquid ita macer esset,
 multum ab illo Talando mutatus, quem abiens reliquisset: Tuæ
 (inquit) tuæ inquam delicatæ & castæ, si diis placet, conjugii ac-
 ceptam hanc maciem fero, quæ ut adulterari securitus posset,
 me (quod oculatius eam observarem) simulato clandestiniori
 colloquio in recens ad tale facinus constructum conclave evocat,
 cui tanquam carceri inclusum me in hos usque dies detinuit.
 Jam postquam te adventare audivit, liberum iterum dimisit.

His vafre excogitatis commentis fidem adhibens Carolus nec
 ad Reginam ingredi, nec ad sese illam admittere voluit, sed ut in
 annem

amnem projecta, statim è medio & conspectu suo tolleretur, se-
rio mandavit. Regina, clam admonita, furenti Regis iræ sese
subduxit, & ad vicini cuiusdam Reguli Gynæceum sese recipi-
ens, Dei beneficio salva evasit. Ad hunc Regulum cum Caro-
lus etiam aliquando animi causa veniret, ac per pontem in i-
psam arcem ingrederetur, videns prospicientem Hildegardin, à
nequam Talando sibi proditam ac cum refractione nondum
consolidati vulneris ostensam, mox quasi novo cæstro percitus in
vicinam silvam eam abripi, & illic oculos ei erui jubet. Educta
igitur ab apparitoribus Hildegarde, ut excocaretur, venit casu, à
Deo nimirum misericordie rerum mortalium inspectore missus,
& ad tuendam lacrymantis ac trementis Reginæ innocentiam or-
dinatus, Eques quidam auratus, ut vocant, aut balthæi jure con-
spicius, Nobilis vir de *Freydenberg*, non immerito tali appellatus
nomine, quod sive à lætitia sive libertate haberet, utrumq; pro-
fecto hic in tempore veniens copiose secum afferebat. Is enim
à Domina Adelinde foruitu ad Hildegardin sororem ablegatus
adventu & præsentia sua afflictam Reginam exhilaravit & ex ap-
paritorum manibus liberavit, subdens pro ea catulum, cujus e-
ruti oculi ad Carolum, ut iusserat, deferrentur. Liberata jam
Hildegardis adjunxit sibi viæ & fortunarum suarum fidam soci-
am, virginem quandam, Rosinam de Bodmen, cum qua exul
Romam adiit, ubi medicam artem (cujus per omnem vitam stu-
diofa fuerat) ita feliciter exercuit, ut omnes tum ægrotos & affli-
ctos consilio suo adjuvans non Romæ solum summis infimisque
omnibus admirationi esset, sed in aliis etiam regionibus procul
diffusis nova ista medica innotesceret.

Accidit interea temporis, ut Talandus, autor istarum inter
optimos conjuges dissensionum, justo Dei judicio non lepra tan-
tum inficeretur, sed cæcus oculorum etiam usum amitteret: qui
inquirens medicum, audivit Romæ foeminam esse, quæ omni-
bus ægrotis, præcipue vero ophthalmia laborantibus, felicissime
& facillime subveniret. Carolum itaq; fratrem Romam adeun-
tem sequitur, foeminam inquit, ad ejusq; ædes accedit: pulsanti
januam prospiciens Bodmana prior occurrit, quæritq; quid
velit.

*Freyden-
bergius
liberat
Hilde-
gardin ab
excoca-
tionis sup-
plicio.*

*Calumnie
pœna di-
vinitus
inflita.*

Brulohij

*Chronologia
Monasterio
S. M.*

S. M.

velit. Respondet nequam, Talandum se esse, Caroli Magni, Francorum Regis, fratrem: venisse, ut loqueretur medicæ isti mulieri, quæ diceretur oculorum doloribus mira promptitudine mederi posse. Hildegardis, à Bodmana edocta, jubet illi nunciari, ut abeat & sacerdoti peccata sua plene confiteatur, quæ ubi vera poenitentia deplorarit, redeat postea: se interim visuram, quid ei collyriorum applicet pro restitutione ablati visus. Sic abiit Talandus, quod iussus est facere, facit: confitetur, sequenti die redit, accipit medicamina & post pauculos dies sanatur.

Miratur Carolus Magnus medicam, miratur eandem Pontifex, & uterque novam illam Aesculapiam, tanta medendi facilitate & promptitudine præditam, videre cupit: missis itaq; nunciis vocari eam in palatium jubent: respondet medica, venire se ad Palatium non posse, sed venturam postero die in Ecclesiam S. Petri, ac ibi sese præsentaturam utriusque conspectui. Redeunt nuntii, unde missi fuerant, & quid receperint responsi, edocent. Sequenti die ingreditur templum medica cum socia sua Bodmana, & veniens in conspectum Regis ac Pontificis, à Rege statim agnoscitur, cui ipsa mox præsentante summo Pontifice totam suarum calamitarum originem & seriem longa oratione exponit. Carolus, innocentiam dilectissimæ conjugis intelligens, abjectis concubinis omnibus ipsam in plenam gratiam recipit, ac charissimis liberis dulcissimam matrem restituit: fratrem vero Talandum, tantorum scelerum seminatore, damnatum in Insulas ex perpetuo conspectu suo deportari jubet, quem ad dignum etiam supplicium rapturus erat, nisi precibus intercedentis Hildegardis Reginae mitigatus vitam saluam ei donasset. Pontifex Carolo suam Hildegardin, quasi novam sponfam, data etiam nova benedictione associans ita eam honoravit, ut deinceps *Magna Hildegardis* (quemadmodum maritus Magnus Carolus) & sancta & beata omnium gentium gubernatrix deberet uno omnium ore salutari.

Post aliquot menses Domina Hildegardis cum Rege domum reversa, gratiarum actionis ergo (habita prius cum marito super ea re deliberatione) ex patrimonio suo cœnobium Campido-

*Carolus
M. innocen-
tiam
conjugis
Hildegardis de-
prehendit.*

pidonense construxit, quod facturam sese D. Virgini matri vove-
rat prius in miseris & ærumnis suis constituta, a cuius Filio, æter-
no Deo, sese adjutam & ex ærumnis his liberatam pleno jam
ore confitebatur. Carolus vero, ut ipse etiam Deo pro restitu-
ta charissima uxore, & patefacta ejus innocentia gratus esset,
condidit amplissimisq; proventibus annuis dotavit in honorem
Beatae Virginis, quæ Salvatorem mundi peperit, ornatissimam
Basilicam Aquisgranensem, in qua hodie adhuc eum corpore
(nam animus ad cœlestia emigravit) quiescere certum est.
Hæc Campidonensis & Aquisgranensis Basilicarum initia sunt
certissima. Primum vero Campidonensis cœnobii lapidem
posuisse legitur anno Domini 773. Dominus Rolandus, Caroli
Magni è sorore Bertha nepos, omnium Gallorum, Sabellico te-
ste, fortissimus, præsentibus multis Principibus ac nobilibus.

Dedit autem Domina fundatrix ad recens conditum suum
cœnobium Alpgoviam, id est, Alpibus adjacentem terram, Sa-
goviam, id est, lacubus, forte Sundtheimenfi, Mariscellenfi &
Sulzbergenfi (hos enim amplissimos pisculentissimosq; lacus
hodie adhuc possidet ejus loci Abbas) confinem provinciam,
Riugoviam, hoc est, Rhetiaë vicinum agrum: *Augustigoviam*, Au-
gustanæ nimirum urbi adjacens territorium: *Hilergoviam* item,
id est, ad Herum sitos agros cum oppidis, pagis, castris, aquis,
piscinis, campis, & pascuis, præcipue vero Comitatu & oppido
Campidonensi, & arce Hillermontana, quæ, defuncto Hilde-
brando patre ejus, Rudelbrehti ac Beronis, Comitum de Bruin-
schwiga, sedes fuerat, ad quam hæc omnia supra nominata terri-
toria spectabant, cum omnibus juribus ac privilegiis, civilibus
ac ecclesiasticis in omnem æternitatem, ad finem usq; mundi
usurpandis.

Dedit vero hæc omnia pro sustentatione Nobilium ac Illu-
strum Germaniæ virorum, qui pietatis, literarum ac religionis
studio sese dederent: dedit pro Nobilibus, inquam, quod Deo
ita ordinante à Viro Nobili ex ærumnis & morte liberata esset.
Elegit autem cum ad cœnobium construendum, tum ut quie-
tem suam corpus defunctæ ad diem usq; novissimum haberet,

N

hunc

Aquis-
granense
templum.

Rolandus
Caroli
M. nepos.
ex sorore.
Donatio
Hilde-
gardis.

hunc &
ita usq;
ad finem
mundi

Brunschwigi

Chronologia
Monasterio

in Germania

S. III

hunc locum præcipue, quod in Episcopatum Constantiensis, ex quo paternam, & Augustani, ex quo maternam originem duceret, confinibus situs esset: & quod tum etiam in eodem districtu ad S. Nicolai sacellum pii habitarent Eremitæ, qui religiose Deo in maxima vitæ puritate & innocentia serviebant.

*Gigantes
Campi
doni.*

Adduxerat secum Carolus Hildegardi suæ à Constantino-
poli duos incomparabilis staturæ ac stupendæ altitudinis Gigantes, *Sancimonem* ac *Celebrandum*, qui ingentia saxa humeris suis ad novum ædificium portantes, voracitate sua immensa cum conditrici, tum toti vicinæ admirationi erant, ac risum subinde movebant. Horum alter, *Celebrandus* videlicet, mortua Domina Hildegarde, in Italiam venit: *Sancimon* vero Campidoni mortuus in medio Basilicæ honorifica sepultura donatus est.

*Hildegardis
cur sancta
vocetur.*

Fundatrix Sancta vocatur, non quod canonizata sit à Rom. Pontificibus, sed quod ab incunabulis Christi doctrinarum ac præceptionum studiosissima, summo semper studio ægrotos inviserit, & verbo Dei consolata sit, quod è partu laborantibus feminabus Imperatrix etiam adfuerit, quod omnibus pauperibus largissima elemosynarum distributione opem summam tulerit. Cujus pietatis insigne & conspicuum hodie adhuc est in Campidonensi monasterio indicium, ubi in ejus memoriam singulis septimanis bis, diebus videlicet Lunæ & Veneris, ducenti homines pauperes distributis panibus cibari ac refocillari solent. Duxit eam Carolus Magnus Brunswigæ, ubi tum apud Aviam Talatinam vixisse scribitur. Decessit ex hac lachrymarum valle ad celestis patriæ gaudia inenarrabilia anno Christi 783. Sepelitur (ut moriens petierat) in Basilica sua Campidonensi: etsi coenobitæ S. Arnulphi, extra Mediomatricum potentissimæ urbis moenia in perveteri ac magnificentissimo monasterio habitantes, jactitent, sese eandem etiam Hildegardin ejusq; filium Ludovicum Pium, filias vero, Hildegardin & Adelhaidin, in sui templi Augusto equidem choro magnificis sepulchris conditas habere: ubi ego superiore anno sequentia dictarum regiarum personarum epitaphia exscripsi, quæ huic descriptioni inferenda censui. Fieri autem potuit, quod Meti mortua, illic humata initio sit, & postea inde

*S. Arnulphi
Metense
cœnob.*

inde Campidonam translata : sicut id multis Imperatoribus & Imperatricibus accidit, videlicet Philippo, Barbarossæ filio, Adolpho Anaxoviano, Alberto Habsburgio, & aliis pluribus, qui alibi primum humati, postea Spiram in Regum sepulchra translati sunt.

HILDEGARDIS

Reginæ tumulus.

Aurea quæ fulvis rutilant elementa figuris
 Quam clara extiterint, membra sepulta docent.
 Hic Regina jacet, Regi præcelsa potenti
 Hildegard Karolo quæ bene nupta fuit.
 Quæ tantum clara transcendit stirpis alumnos,
 Quantum, quo genita est Indica gemma, solum.
 Huic tam clara fuit florentis gratia formæ,
 Quæ non occiduo pulchrior orbe foret.
 Cujus haud tenerum possint æquare decorem
 Sardonyx Pario, Lilia mixta rosis.
 Attamen hanc speciem superabant lumina cordis,
 Simplicitasq; animæ, interiorq; decor.
 Tu mitis, sapiens, solers, jocunda fuisti,
 Dapsilis & cunctis condecorata bonis.
 Sed quid plura feram? cum non sit grandior ulla
 Laus tibi, quàm tanto complacuisse Viro.
 Cumq; vir arripotens sceptris junxisset a vitis
 Cycniferumq; Padum, Romuleumq; Tibrim:
 Tu sola inventa es, fieres quæ digna tenere
 Multiplicis regni aurea sceptra manu.
 Alter ab undecimo rursus te sustulit annus,
 Heu genitrix Regum, heu decus atq; æolor.
 Te Francus, Suevius, Germanus, teq; Britannus,
 Cumq; Getis duris plangit Ibera cohors.
 Accola te Ligeris, te desset & Itala tellus,
 Ipsaq; morte tua anxia Roma gemit.

N 2

Movi-

Brulohij
Chronologia
Monasterio
in Gemmat
S. M.

*Moristi ad stetus & fortia corda virorum,
Et lachrymæ clypeos inter & arma cadunt.
Heu quantis sapiens, & firmum robore semper
Ussisti flammis pectus herile Viri.
Solatur cunctos spes hæc sed certa dolentes,
Pro dignis factis quod sacra regna tenes.*

LUDOVICI

Regis & Imperatoris tumulus.

*Imperii fulmen, Francorum nobile culmen,
Erutus à seculo conditur hoc tumulo.
Rex Ludovicus, pietatis tantus amicus,
Qui pius à populo dicitur & titulo,
Hildegardis soboles, Caroli Magni pia proles,
In pacis metas colligit hunc pietas.
Rumilicam villam, quicquidq; refertur ad illam,
Arnolpho sancto contulit huicq; loco
Stirps, à quo Procerum, Regumq; vel Imperatorum,
Quorum muneribus sistitur iste locus.*

ADELHEIDIS

Filiolæ Caroli Magni.

*Hoc tumulata jacet pusilla puellula busto,
Adelheid amne sacro quæ vocitata fuit.
Huic sator est Carolus, gemino diademate pollens,
Nobilis ingenio, fortis ad arma satis.
Sumserat hæc ortum propè incenia celsa Papiæ,
Cum caperet genitor Itala regna potens.
Sed Rodanum properans, rapta est de lumine vitæ,
Itaq; sunt matris corda dolore procul.
Excessit patrios non conspectura triumphos:
Nunc patris æterni regna beata tenet.*

HIL-

HILDEGARDIS

Filiolæ Caroli Magni.

*Hildegard, rapuit subito te funus acerbum,
Ceur aptat Boreas vere ligustra no vo.
Exple vit necdum vitæ tibi circulus annum,
Annua nec venit lux genuina tibi.*

*Parvula non parvum linquis Virguncula luctum,
Confo diens jaculo regia corda patris.*

*Matris habens nomen æno vias de morte dolorem,
Postquam vixisti vix quadraginta dies.*

*Pectore nos mæsto lacrymarum fundimus amnes:
Tu nimium felix gaudia longa petis.*

ABBATUM hujus amplissimi cœnobii omnium, à primo ad eum usque, qui hac nostra tempestate rerum potitur, talis mihi superiore anno ab ejusdem Abbatæ Conventualibus clarissimis, generisq; & ingenii nobilitate maxime illustribus viris, Friderico à Thierberg, & Christophoro à Freyberg catalogus, etfi à me digestus & auctus postea, benigniter communicatus est.

I. *Andegarius Grundefstris*, de Bruniswiga, Rolandi filius, eorum generis, qui postea successu temporis duces creati, Brunswicenses Duces dicti sunt: ab aliis Andegarius, & iterum aliis Amelgarius nominatus, vir genere, moribus ac doctrina nobilis, ab ipsa S. Hildegarde Regina & fundatrice Romam accersitur, utis, cui gubernationem recens inchoati cœnobii ipsa commendatura aliquando esset, sacris initiatus Pontifici innotesceret, à quo mox, præsentè Carolo Magno, inauguratus est ipsa die Dominicæ Resurrectionis, anno Domini 773. eodem nempe anno, quo fundamenta cœnobii jacta sunt. Electus vero est in primum viginti trium nobilium cœnobitarum Campidonensium Abbatem anno incarnati Verbi 777. Præfuit pie, quiete, & fideliter, annis 19. Consecutus est pro se & successoribus suis omnibus insignè privilegium ab Adriano Pontifice, in quo Pontifex Campidonam, alteram vel secundam Romam appellans, ab omni eam Episcopali jugo exemptam & perpetuo liberam esse statuit. Ab-

N 3

bañ

Abbatum series.

Brunswicensium Ducum origo.

Campidonum, secundam Romam.

Brunswig

Chronologia
Monasterio

S. III

*Abbas
matutinis
horis cle-
ricus, po-
meridia-
nis Poli-
ticus.*

bati vero concedit plenam potestatem ante meridiem sacra faciendi, post meridiem vero gladii ad exercenda jura forensia, ad tuendos bonos ac è medio tollendos malos usurpandi. Unde versus natus, quem Abbas & Princeps loci hujus cum Herbipolensi Episcopatu communem habet:

Campidona sola judicat ense, stola.

*Acade-
mia San-
gallensis,
Erfordi-
um trans-
lata.*

Ejusdem Pontificis consensu translata est ad monasterium Campidonense celebris tum Academia Sangallensis, quæ postea è Campidona propter tumultuantem ibi plebem Herbipolim, & anno 1398. ex Herbipoli, in Episcopum suum seditiosa, Erfordiam ab Archiepiscopo Moguntino Joanne, Comite Anaxoviano, translata legitur, Bonifacio IX. Pont. Max. privilegia dante.

*Advocati
cœnobii
Campi-
donensis.*

Imperator vero Carolus eidem Abbati Andegario, ad Principis dignitatem evecto, monetæ etiam cœnobii potestatem dedit. Advocatos vero ac tutores cœnobii constituit ac designavit Ducem Bavarie, Marfallum: Saxonie ducem, pincernam: Montisfortis Comitem, dapiferum: Comitem de Nellenburg, Camerarium Abbatis.

*Mem-
minga.
Suevia
olim pau-
carum e-
rat urbi-
um.*

Andegarius iste pagum etiam Gronenfurtensem, viridis vadi scilicet, possedit, quem hodie auctum & in celebrem urbem ampliatum *Memmingam* vocant, in quo multa condidisse legitur. Paucas habebat tunc temporis Suevia urbes, præter Augustam, Phullendorfum & Campidonam, ferè nullas, sed pagos multos amplos, Ulmam videlicet, Grunenfurtum, Biberacum, Leutkirchium, Innam &c. qui omnes vicinorum erant Abbatum. Obiit Andegarius secunda Novembrium anni 796. Sepelitur in choro sub ara maxima.

*Biblio-
theca
Campi-
donensis.*

2. *Agapitus de duro cornu*, nobilis heros genere, & vir prudentissimus, eligitur in Abbatem anno Domini 796. Præfuit sub Pont. Max. Leone III. & hujus successore Stephano uno & viginti annis laudabiliter. Collegit insignem Bibliothecam, in quam cum neophytus aliquis candelam aliquando ardentem portasset, & negligenter deposuisset, incendio inde orto, magna pars cœnobii misere conflagravit. Obiit animi dolore, 4. Decembrium anni 817.

3. *Gotbar-*

3. *Gothartus Kaltenbergerus*, Aquisgranensis, quemadmodum genere, sic vitæ quoque innocentia nobilis, eligitur anno 817. Præfuit sub Pont. Max. Paschali I. Eugenio II. Gregorio IV. & Valentino I. annis 23. Condidit dormitorium & refectorium insignem, campanas item maximas, plurima item in pago Grunensfurt, hodie Memmingen. Habuit sua ætate insignem lacum sub arce Hillermontana, per quem volitantes & natantes anates, ministri Abbatis ex ipsa arce jaculis ferire & in suam potestatem redigere poterant. Obiit 13. Augusti, anno Domini 840.

4. *Adelbertus*, alibi *Eccenbertus Moringerus*, de Hopfferbach, vir nobilis, successit Gothardo anno supra scripto. Fuit Hittonis, sexti Episcopi Frisingensis in Bavaris, nepos ex fratre, cui etiam in Episcopatus gubernatione successit: tandem ad Abbatiam quoque Campidonensem una cum Episcopatu gubernandam accersitus, præfuit sub Pont. Max. Sergio II. annis undecim utiliter. Huic Domina Rorinna, Ducissa Sueviæ (cujus etiam supra in Genealogiis mentio facta est) aureos & argenteos dono dedit ornatus, qui postea ab Hunnis ablati sunt. Reperitur adhuc in ambitu tale de eo scriptum: anno 842. Adelbertus, Episcopus Frisingensis & Abbas hic, Marcas monasterii reparavit. Cætera vetustate abolita illegibilia sunt. Decessit ex hac vita undecima Januarii anno Domini 854. & Frisingi, ubi plerumque sedebat, honorifice sepelitur.

5. *Conradus Dorn*, de Kalbstaugusta, (quod veteris arcis nomen est) illustris, castus, & religiosus vir, eligitur in Abbatem anno Domini 854. sub Pont. Max. Leoné IV. Præfuit annis sex. Condidit plurima templa & sacella. Fodit puteum in arce Hillermontana, & ibi ferream invenit arcam, gentilitiis numismatibus aureis & argenteis, aliisque ornamentis refertam, quibus constructa templa eleganter & studiose decoravit. Obiit septima Martii anno Domini 861.

6. *Gerungus Ambergerus*, Augustanus, vir magis strenuus & martius, quam religioni deditus, sed bonus tamen sui cœnobii pater, eligitur anno Domini 861. Præfuit annis undecim. Sedit plerumque in arce Heimertingenfi. Percuti fecit gladio tres magni

Numismatum
arca ple-
na Campidoni in-
venta.

Rorinna

Chronologia
Monasterio
Campidonensis
S. III

Pœna diplomatum ac sigillorum falsariorum.

magni nominis ministeriales, quod diplomatum ac sigillorum fuissent falsarii. Obiit in ipsis Calendis Januariis anni 872. Habuit aliquandiu in administratione coadiutorem eum, quem postea & successorem reliquit.

7. *Landefridus Hochtanner*, ab Hattenwill, de bona & nobili familia natus, vir admodum mitis, doctus item & legum peritia clarus, sed non perinde facundus, assumitur in Abbatem anno Domini 868. Præfuit sub Romanis Pontificibus, Adriano II. Joanne VIII. & Martino II. annis viginti quatuor. Primus is cudid monetam. Multa construxit in civitate Campidonensi sua, quam mœnibus etiam muniri fecit. Decessit morte subitanea 16. Januarii anno 892.

8. *Fridericus Gremlichius*, de Ochsenbach, vir liberali doctrina & omnibus egregiis virtutibus præditus, tantum foemineæ sexus amantior, quam decebat monasticæ vitæ inspectorem, successit Landefrido. Sedit ad clavum Abbatiae annis 18. sub Romanis Pontificibus, Formoso & Bonifacio VI. Circa hæc ipsa tempora Salomon, Baro Ramschwagius, Episcopus Constantinensis, etiam aliquandiu ex donatione Arnolphi Imperatoris præcipuas tenuit partes Campidoni. Excepit Fridericus ex nobili foemina quadam tres liberos. Valedixit hominum in terra viventium consuetudini ultima Februarii, anno salutis per Christum reparatæ 910.

9. *Burcardus Ricznerus*, ab Hattenhofen, vir nobilis & imprimis bonæ familiae, assiduæ variorum librorum lectionis, quam politicæ gubernationis studiosior, eligitur anno Christi 910. Præfuit annis 17. Sub ejus gubernatione cœnobium ac oppidum Campidonense, & castrum Hillermontanum, ab Hunnis, Germaniam circumquaq; populantibus, & tandem Morfenburgi in Thuringia ab Imperatore Henrico Aucupe cæsis, direptum, incensum, ac vastatum est. Obiit nona Januarii anno gratiæ 927.

10. *Theobaldus Preitfelderus*, de Aichteten, vir læto & hilari animo præditus, genere nobilis, virq; eruditus, & ingenii quam vultus aut corporis forma præstantior, sed non admodum religiosus,

Campidonium ab Hunnis evertitur.

giosus, successit Burcardo, rebus humanis exempto anno Domini 927. quo iterum coenobium ab Hunnis insigni clade affectum est, qui & pagos & arces incendio vastarunt. Legitur ab imperata Pontificia confirmatione 13. tantum septimanis praefuisse, & propter foeminam quandam veneno e medio sublatus ab aliquo praefecto suo, in arce Hillermontana sedente, qui tamen a civibus Campidonensibus deprehensus, ut homicida, mox rota plectebatur. Obiit Abbas tertia Maij anni 928.

11. *Adelbrechtus Landsfurer*, a Sulgow, successit Theobaldo. Sed nihil de eo invenio, nisi quod tertia Februarii evocatus sit ex hac mortali vita.

12. *Ludovicus Fridsamler*, de Rauns, admodum bona & celebri familia natus, misericors dominus, mitis, placidus, & benignus, eligitur anno Domini 940. Praefuit per unius saltem anni spatium. Obiit 25. Maij anno 941. Sub ejus etsi brevi gubernatione, tertio vastatum est coenobium ab Hunnis ita misere, ut, Abbate solo in Hillermontana arce remanente, Conventuales reliqui omnes varie hinc inde in diversa loca, refugium quaerentes, dissiparentur. Mox Abbate etiam Augustam secedente, orto incendio ex non bene sopito igne, arx Hillermontana cum multis diplomatibus ac privilegiis tota, & magna etiam circumfisi oppidi pars lamentabiliter perit: monasterium vero ferarum spelunca & latrocinantium undiquaque; Hunnorum latibulum factum est.

13. *S. Ulricus*, Episcopus Augustanus, Comes Kiburgius ac Dillingensis, a moriente Ludovico exoratus, monasterium ita misere combustum, vastatum ac deformatum, etiam jussu Othonis Imperatoris, in tutela aliquandiu habuit. Is anno Domini 963. porticum S. Nicolai, Ecclesiam, in pomerio Campidonensis monasterii sitam, iterum dedicavit. Accidit vero quinto anno post hanc vastationem ac tertio acceptam cladem, ut Sueviae Dux, Ernestus, in Bavariam iter facturus, veniret ad Stetwangum, quod etiam erat vastati & in cineres collapsi coenobii Campidonensis allodium: ibi ingressus Dux sacram aedem duos adhuc repperit coenobitas Campidonenses, Amandum Breytklee,

Burcardo

Chronologia
Monasterio
S. III

Hillermont incendio perit.
Occasio secundo fundatio coenobij.

klee, à lato trifolio dictum, & Felicem Briemium, sibi dudum bene notos: Amandum vero forte fortunatum concionantem, Is duce Ernestum auditorem nactus in concione strenue pergit, & tandem suum institutum deflexa oratione, quasi digressione facta, collapsum ac funditus deletum tantum cœnobium querula ac lachrymabili voce instituta deplorat, quod fuisset olim à Suevorum pia ac laudabili Ducissa tam splendide, tam liberaliter, tanta pietate & dignitate erectum, in quo hæcenus tot pii, tot doctrina & virtute præstantes, consilio & ope toti provincie utilissimi viri vixissent, ex quo pasta esset totius viciniae pauperie & egestate oppressa turba, ex quaque Episcopi & Imperatorum proditiissent consiliarii. Ad talis domus restorationem merito debere conferre iterum aliquid omnes pios, præsertim vero Principes viros, eosque nimirum, qui S. Hildegardi primæ fundatrici sanguinis propinquitate essent conjuncti. Hac oratione ita motus est Dux Ernestus, ut illico ad sese Amandum istum concionatorem accerferet, & ab eo (num aliquid privilegiorum adhuc ex tanta vastatione reliquum esset) quæreret. Cum vero Amandus librum ei privilegiorum & diplomatum salvum exhiberet, Ernestus mox monasterium quasi de novo instaurare, cœnobitas recolligere, & S. Udalrici ope & consilio Abbatem certum his præficere, novamque omnium privilegiorum confirmationem ab Imperatore Othone primo petere & obtinere cepit. Hunc itaque Ernestum secundum fundatorem ac erectorem suum Campidonensis Ecclesia & civitas merito agnoscit, merito laudare & perpetua gratitudine celebrare debet.

*Ernestus,
Dux
Suev.*

14. *Alexander Fordreffer ab Eck*, vir nobilis, ex optima familia natus, justus æquique mire studiosus, sacrarum vero Scripturarum peritia eximie clarus, constituitur Abbas resurgentis cœnobii anno Christi 962. sub Rom. Pontifice Joanne XII. Præfuit 30. annis felicissime & utilissime, non tantum diligenti inspectione œconomiae, qua dilapsas & direptas cœnobii res præclare recuperavit & auxit, sed concionando ac docendo etiam, quo magnam sibi tum apud suos, tum externos auctoritatem ac existimationem comparabat, benevolentiamque & amorem non minorem

rem excitabat. Renovavit in oppido Campidonensi templum S. Magni, & ut muri iterum conderentur, & civitas etiam ampliaretur, civibus ac subditis suis libenter concessit, ac liberam potestatem dedit. Fuit Ratisbonæ in Imperii Comitibus, in quibus ab Othone Imperatore (ut limites cœnobii de novo firmarentur, multa enim à pauperibus Alpogoviæ Nobilibus abstracta & abalienata erant) impetravit. Valerudinarius tamen non omnia ipse efficere & expedire potuit; diu enim decumbēbat: habebat vero fautorem ac amicum summum, olim etiam condiscipulum, Episcopum quendam Frisingensem, qui omnia ipsius nomine diligentissime expediebat. Obiit tandem anno Domini 992. sexta Augusti.

Sub hoc Abbate inventa est, cum denuo instauraretur Campidonensis Basilica, & renovarentur etiam fundamenta, plumbea tabula in S. Hildegardis tumulo cum tali, soluta saltem & factis equidem barbara inscriptione:

*Annis decursis septingentis octogintaq; tribus
Busto in hoc bustarii felicem bustarunt Hildegardin,
Que variis claruit signis, Dei vigore in multis,
Cujus in pace sancta requiescat anima. Amen.*

Hildegardis R.
tabula sepulchralis.

15. *Stephanus Taradus* ab Erpach, bonæ stirpis ac familiæ vir, sacrarum Scripturarum non triviali cognitione insignis, religiosus admodum, piæque omnino ac innocentis conversationis, eligitur in Abbatem Campidonensem anno Domini 992. Præfuit annis 19. Juvit aliquandiu etiam Lambertum, antistitem Constantiensem, in gubernando Episcopatu. Fuit Abbas crasso & pingui corpore onustus, qui equo vehi nusquam potuit, sed piletis aut lectica ferri solebat, quoties peregre prodibat. Vastavit præfecti sui, Godefridi Greulichii, tum in Libripendolo sive Wagego, Abbatia castro, residentis ope & auxiliis, Langenbergensium, Nobilium pauperum & ex rapto tunc temporis tantum visitantium, arcem. Obiit 10. Junii an. 1011.

Arx Langenberg.

16. *Eberhardus Hertensteiner* à Wineden, vir nobilis, pius, religiosus, ingeniosus & doctus, sed homo admodum iracundus, eligitur anno 1012. Præfuit præclare & summa cum laude annis

Basilicij

Chronologia
Monasterio
in Germania

S. III

nis 32. septimanisq; 30. Erat amans venationum & aucupii. Is oppidum Campidonense fossis munivit, fontibus item intra mœnia, extra vero illa, lacubus ac piscinis insignivit, sub Pont. Max. Silvestre secundo. Exiit hominem tertia Aprilis anno redempti orbis 1044.

*Honor
mutat
mores.*

17. *Giselfridus Latifolius*, vulgo Preitblath, à Mulhusen, parentum & ingenii nobilitate conspicuus, ante inventas ad Abbatiam claves, mirum in modum humilis ac religiosus, post inventas elatus & totus secularis, pomparum amans ac voluptuarius, præsertim quod ad muliebria attinet sodalitia, eligitur anno Domini 1044. Præfuit quatuor annis, charus omnibus Principibus, quibus propter ingenium, consilii & sapientiæ feracissimum, plurimum sæpe proderat. Discordiarum enim inter Principes viros sapiendarum ac componendarum, quod eloquens & prudentissimus esset, mirus erat artifex. Sæpe legatus etiam ad Pontificem à Germaniæ Principibus missus. Adeo potens erat, & adeo multi & splendidi apparatus amans, ut sæpe trecentos nobiles & equestris ordinis viros circa sese haberet & aleret solus. Obiit ultima Junii anno 1048.

18. *Landolphus Reinsteterus*, ab Hoheneck, vir pinguis & corpulentus, sed & religiosus, & cœnobii sui illustrator locupletatorq; maximus, ad cuius gubernationem aliunde accerfitur anno Christi 1048. Resignavit Abbatiam primo statim gubernationis suæ anno cum consensu fratrum, quos errabundos antea in viam reducerat.

19. *Bertholdus à Thannenfeels*, per Landolphi antecessoris sui liberam resignationem gubernaculum Campidonensis Abbatiae consequutus est anno 1049. Legitur decessisse 24. Augusti, cum paucis annis præfuisset. Aliud enim de eo nihil in fastis relatum est.

20. *Henricus Dorenstichius*, de veteri Ravenspurgo, nobilis ex bona familia natus, vir sapiens ac prudens, eligitur anno Domini 1063. pontificante Romæ Alexandro II. Non diu præfuit. Obiit Constantiæ 7. Maij, sed quo anno, id incertum est. Expugnavit & in suam potestatem redegit duas arces Kurnachianæ ditium-

tiunculae, praedonum latibula. Quinque vero alias Sueviae & Bavariae Principes dejecerunt.

21. *Conradus Neobrunnerus*, de Osterraco, eligitur sub eodem Pontifice Romano, *Alexandro II.* anno Christi 1073. Gessit magnum bellum contra nobiles quosdam Centauros, *Gothardum Aichenberger*, in arce Aichenhaldo sedentem, *Felicem de Stephansried*, *Othonem à Winberg*, *Theobaldum à Scheer*, in arce Hertzemburgo degentem, *Hildebrandum Memminger*, castrum *Hundsmor* tenentem, quarum appellationum arces fuerunt non procul ab *Uttenburrlia*, *Benedictino* caenobio: hodie apparent earum saltem ruinae in densissimis nemoribus. Isti vero nobiles oneri erant toti circumjacenti vicinia & omnibus praetereuntibus viatoribus, ex *Campidono* & *Grunenfurt* ambulantes. Idcirco Abbas has arces omnes & adjuvante Deo citiusquam in anno fregit & ex imis fundamentis evertit, eiecit etiam in exilium nobiles illis *Cacis*, ex rapto tantum & sanguine viventibus. A quorum aliquibus graviter apud Imperatorem *Henricum IV.* accusatus & mendaciter delatus Abbas, inclementem habuit aliquandiu Caesarem, sed mox veritate rerum gestarum edoctum facile illum sibi reconciliavit. *Hildebrandus Memminger* ferro & incendiis sese ulcisci parabat. Ex arce enim *Messkirch* prope *Sulgow* excursionibus factis in agrum usque *Campidonensem* incendio & rapinis omnia vastabat, magnumque caenobio damnum inferebat anno Domini 1081. ipsa die *Innocentum*. Sed dedit is tandem justas temeritatis ac tyrannidis suae poenas. Post duos enim menses captus cum aliis Comitibus ac sociis septem à Domino *Burcardo Hochtheimero*, Equite aurato & *Campidonensis* caenobii praefecto in pago *Richenbacensi*: inde in arcem *Hillermontanam* abductus, & sequenti die cum sociis omnibus securi percussus est, in colle prati *Suickerheriani*, idque factum est mense *Aprili*. Abbas deinde post aliquot annos exauthoratus est, propter non admodum feliciter administratam gubernationem, qui obiit postea 16. *Julii*.

Bellum,
contra
Nobiles.

Mess-
kirch.

22. *Udalricus Lindegrun*, ab *Ochsenbach*, mitis, misericors & bonus vir, ita non genere saltem, quo multum tument, sed & virtute

Chronologia

Chronologia
Monasterio
in Germania

S. M.

*Abbas
fœmineo
sexui ad-
modum
propitius.*

tute nobilis: valde etiam religiosus, eligitur, anno Salutis 1092. sub Pont. Max. Urbano II. Obiit Abbas iste 19. Martii. Ordinavit, ne ulla fœmina Campidonensis unquam, (utut esset peccatum vel delictum ejus enorme) capite, hoc est, ad mortem damnaretur, propterea quod sua ætate duæ fœminæ damnatæ, à S. Hildegarde precibus mota è carcere & custodia liberatæ, illæ-
fis feris, in ejus tumulto sedentes inventæ essent, cum postero die ad supplicium ducendæ essent.

*Stettwan-
gen præ-
positura.
Ulma ob-
sessâ.*

23. *Hatto vel Ottho Niderhofius*, ab Erisheim, vir mitis ac placidus, vitæ per omnia piæ & admodum religiosæ, eligitur anno Domini 1125. sub Honorio Pontifice, & Henrico V. Imperatore, Noribergam tunc vastante. Is afflicta valetudine præditus non diu præfuit, sed Abbatiam uni ex Conventualibus suis, Friderico videlicet Festenbergero, 17. Maij resignavit. Hujus tempore, acre bellum, & varius tumultus quorundam Nobilium adversus Abbatiam hanc excitati erant propter vastatam aliquam arcem prope Oberdorffum, quæ latronum latibulum fuerat: erantque tanti tumultus, ut conventus aliquandiu isti furori cedere & in præpositura Stettwangen exulare cogeretur. Eadem tempestate obsedit Lotharius Imperator Ulmam, & circumjacentem omnem Sueviam ferro & igne depopulatus est. Obiit Abbas Hatto tandem undecima Decembrium.

24. *Fridericus Festenberger* à Landsbergo, de quo nihil quicquam extat.

25. *Fridericus Klingenstein*, Augustanus, honestus ac veracundus, sapiens & prudens vir, eligitur anno Domini 1138. sub Innocentio II. Pontifice: quamdiu præfuerit, non invenio. Obiit 3. Aprilis.

26. *Robertus Conradus*, Hennenbergius à Scheideck, satis nobilis, religiosus multum, sed longe tenacissimus paterfamilias, eligitur anno Christi 1152. sub Anastasio IV. Pontifice Maximo. Obiit subitanea & improvisa morte 5. die post electionem, in ipso itinere versus Romam, pro impetranda confirmatione suscepto, ipsa quinta etiam Novemb. Et statim ei subrogatur

27. *Fridericus*

27. *Fridelocus Vorburgerus* ab Helmshofen. Eligitur is anno Domini 1152. Vendidit Haldenwangum, & obiit ultima Maij, sed quo anno, incertum est. Sub hoc, Abbas quidam Isnenfis Marquardus bello Campidonense cœnobium adortus, id in suam deditiōnem redegit; sed tantum sex horis retinuit, & cedere iterum adventanti cum majoribus copiis Abbati Frideloco est coactus, idque factum est propter Aschacensis Montis silvas ac nemora.

Abbas Isnenfis occupatum: sed non diu possidet.

28. *Bertholdus Hochbergerus*, de Sacro ligno, ex egregie nobili genere & familia ortus, ingeniosus item & eruditus vir, sed qui neutiqum inhumanis mulierum desideriis plurimum tenebatur, eligitur anno Christi 1185. sub Lucio tertio Pont. Max. Sub hoc magna erat per omnem Algoviam annonæ difficultas, idcirco ad commodiorem multorum pauperum sustentationem construxit è quadrato lapide magnam domum in oppido Campidonensi, tum præfecti domicilium, quæ hoc tempore reipubl. Campidonensis & Salis domus constituta est, anno 1506. Dabat laboratoribus supra victum hebdomodatim singulis dimidium ursum. Vendidit insciis conventualibus suis arcem Itelspurgensem Nobilibus quibusdam. Conjunxit primo pontem Illerum amnem: condidit & macellum & molendina. Obiit quinta Augusti.

Annonæ difficultas in Algoja.

Pons Illeri.

29. *Rudolphus Wolfgangus, de Kungseck*, optimæ & celeberrimæ nobilitatis vir, consilio & prudentia rerum civilium gerendarum gravissimus, eligitur anno Domini 1208. sub Innocentio tertio Pont. Max. Scribitur Archiepiscopus Salisburgensis designatus esse, & forte per discordem electionem: nam in Salisburgensium annalibus ego eum non reperio. Hujus temporibus arcem Wagegk, quam hodie Nobiles de Loubenberg tenent, Abbatis Campidonensis imperio suberat, quæ postea per fraudem alienata est. Obiit tertia Augusti.

Wagegk.

30. *Henricus Burtenbachius* eligitur anno Christi 1220. Renovavit & de novo reedificavit arcem Hillermontanam. Obiit secunda Januarii, anno Domini 1225.

31. *Hen-*

D. H. H. H.

*Chronologia
Monasterio
in Germa
S. M*

31. *Henricus* à Summerou, vir genere & virtute nobilis, eligitur anno Domini 1225. Renovavit & reædificavit cœnobium. Præfuit 10. annis, & obiit die secunda Januarii anno 1235.

*Benefi-
centia in
pauperes
exentia.*

32. *Gebhardus Orteck*, à Maiburg, non admodum nobili patre natus, sed vir religiosus ac admodum angustæ conscientiæ, eligitur anno Domini 1235. sub Gregorio IX. Pont. Max. Cibavit in magna annonæ difficultate singulis diebus plures quam centum peregrinos pauperes pulte, in magno & amplo aheno seu caldario cocta. Obiit 23. Augusti.

33. *Theobaldus* vel *Theothymus Birckberus*, à Felsburgk, præfuit anno Domini 1237. quo plurima in munimentis oppidi condidisse legitur. Obiit 14. Februarii.

*Hildegardis
castri
vastatur.*

34. *Avergerus Randecker*, à Grundtstein, successit Theothymo. Habuit amplissimum ac maxime numerosum conventum. Sub ejus gubernatione vastatum legitur in Lottersburgo monte castrum Hildegardisburgum dictum. Exauthoratur septima Aprilis anno 1242.

35. *Hartmannus Mulegg*, vir genere & majorum imaginibus fatis nobilis, legum cognitione insignis, devotus & religiosus, eligitur anno Domini 1242. sub Innocentio IV. Pont. Max. Cum vero Hunni excursionibus in Germaniam factis popularentur circa hæc tempora Sueviam, Abbas & monachi relicto cœnobio aufugerunt in vicinas arces. Obiit tertia Julii.

*Thomas
Aquinas
hospitio
exceptus.
Turris Hil-
degardis
in templo
Campido-
nensi.
Campido-
nense cœ-
nobiū pe-
rit igni-
bus.*

36. *Nericus* vel *Ulricus Nerlinger*, à Wurmberg, vir nobilis & pius, eligitur anno gratiæ 1253. sub Alexandro IV. Pont. Max. Excepit hospitio Thomam Aquinatem. Extruxit contiguam Ecclesiæ turrim egregiam, positus in fundamenta omnibus sepulchralibus lapidibus Abbatum & equestris ordinis hominum, Comitum item ac Baronum: quam cum vidisset (qui sub eo Abbate in cœnobio per triduum vixit) Imperator Henricus VI. dono dedit ille S. Hildegardi & cœnobio Campidonensemylvam maximam & pulcherrimam, pro qua jussit in honore Hildegardis & ejus filii Ludovici Imperatoris extrui etiam alteram & secundam turrim, ita ut una pro Hildegarde, altera pro Ludovico Pio in memoriam astaret sempiternam. Harum turrium hodie

hodie adhuc una S. Hildegardis, altera S. Ludovici turris appellari solet. Obiit Abbas 13. Novembr. Sub eo combusta est & misero incendio perit cœnobii magna pars, anno Domini 1261. postridie S. Magni; unde hi versus extant.

*Annis transactis plus uno mille ducentis
Et sexaginta combusta fuit domus ista
Post festum Magni præcelsi nocte sequenti.*

37. *Eberhardus Burgberger* ex Algovia, vir illustris & generosus, eligitur anno Christianæ redemptionis 1268. sub Clemente IV. Pont. Max. Habuit hostes, nobiles Heimenshoferos à Burgberg, propter feudum quoddam. Obiit 22. Maij. Habuit conventuales tantum tredecim, qui singuli singulas ædes incolebant, equosq; & servos alebant plurimos.

38. *Conradus Zoller*, à Wifensteig, vir justus, ingeniosus & doctus, eligitur anno Domini 1296. sub Bonifacio IX. Pont. Max. Sedit diu in arce Hillermontana & Heimertingi: posuit & plantavit veteres tilias in cœmiterio hodie adhuc conspiciendas. Fecit fodi fossam ab arce Hillermontana, hodie Burghalden, ad illerum usq; fluvium. Obiit quinta Octobrium.

39. *Hardmannus Schneeller*, à Rauns, bona & nobili familia fatus, virtute & doctrina illustris, eligitur anno Christi 1302. sub Bonifacio IX. Pontif. Max. Factus est leprosus & multum auri & argenti dedit medicis pro conservatione corporis, sed frustra. Obiit 23. Januarii. Cibavit & iste in magna charistia cocta pulte singulis diebus supra centum pauperes utriusq; sexus.

40. *Henricus Impurus*, ab Hirsdorff, vir prudentia & doctrina clarus, eligitur anno Domini 1315. Præfuit sub Joanne XXII. Pont. Max. Aluit Tibicines, qui venientes equites exciperent & indicarent. Peregre proficiscens erat semper lorica indutus sub toga. Obiit 12. Maij anno 1331. Sepelitur ante aram omnium sanctorum.

41. *Burcardus Buregkius*, Algovius ex Haselnwiler, nobilis quidem genere, sed non admodum religiosus, eligitur anno Domini 1336. sub Joanne supradicto Pont. Max. Fecit absolvi muros oppidi Campidonensis. Obiit postea 19. Julii. Fugit ex muros oppidi Campidonensis. Obiit postea 19. Julii. Fugit ex

P

Discor-
diam a-
cœno-

*Chronologia
Monasterio
in Germani
S. M*

nachorum
fuga cau-
sa Abbati.

coenobio propter indissolubiles coenobitarum suorum discor-
dias.

42. *Conradus* successit Burcardo & itidem fugit ex coenobio
propter impacabiles discordias conventualium, quibus datus est
commissarius à Rom. Pont. Episcopus Constantiensis. Is gu-
bernatores coenobio præfecit, aliquandiu in arce Hillermon-
na sedentem, sacerdotem ac præpositum *Conradum Clangenber-
rum*, cui concubina, Rosina Lattmerina, arcam plenam literis
& diplomatibus subtrahens, literas eas quibusdam vicinis defi-
deranter eas petentibus vendidit. His literis adjuti & animosio-
res facti Campidonenses cives, & tali præposito ad clavum se-
dente, qui homo ignavus, populo etiam Campidonensi, ad om-
nia conniventi, nimium æquus & propitius erat, strenue jam
laborarunt in construendis & absolvendis urbibus suis munitioni-
bus, turribus ac mœnibus. Quibus ex voto completis, coepit Cam-
pidonum erigere cristas, & dici jam appellariq; civitas, quæ prius
non clausa, sed semper Abbati aperta, & omnibus hominibus o-
mnibus momentis pervia erat. Tunc ad se trahere & rapere mul-
tas Abbatiae libertates & immunitates, quasdam etiam cum favo-
re & consensu conventualium dominorum consequi cepit. Sub
hoc ipso præposito amisit Abbas claves ad portas civitatis, quæ
semper fuerant prius in manu Abbatis. In summa, ut multa bre-
viter dicantur, præpositus iste infidelis extitit & infelix, ac admo-
dum noxius coenobii hujus administrator, quod uni Constanti-
ensi Episcopo Nicolao & fratrum discordiis acceptum feratur.

Concubi-
na noxia
Abbatie
Campido-
nensi.

Campi-
donum fit
Civitas
& excu-
tit jugum
Abbatis.

-1341 1342

-1341 1342

-1341 1342

-1341 1342

-1341 1342

-1341 1342

-1341 1342

-1341 1342

43. *Gerwicus Hortbänder*, ab Helmshofen, vir genere nobi-
lis, sed in iram admodum pronus, eligitur anno Domini 1345.
sub Benedicto XII. Rom. Pont. Obiit 10. Februarii. Fecit pingi
S. Hildegardis miracula in templo: in ambitu vero veteres Ab-
bates, postea iterum oblitos.

44. *Henricus ab Oberhofen* eligitur anno Domini 1346. Obiit
20. Octobrium. Illustravit turre Ecclesie. Abrogavit Eleemo-
synas & Xenodochia vicina coenobio. Ejecit pauperes, eratque
infelix & inuti is gubernator, sub quo coenobii res plurimum di-
minui coeperunt.

-1341 1342

-1341 1342

45. *Conradus quartus*, cognomento *Burgberger*, *Algovius*, ex bona familia natus. Obit 29. Decembrii in peste, eodem anno, quo praesesse cepit sub *Clemente sexto*, Pont. Max. Sub his *Abbatibus* coepit omnino irregularis vita *Campidoni* inter conventuales, qui negligentes rerum coenobii & liberioris vitae studiosi, otio tantum & libidinibus vacabant. Idcirco *Campidonenses* cives in eos seditiosi cristas erigere & jugum omne excutere coeperunt, quod postea ad haec usque tempora non recuperari potuit.

46. *Henricus à Mittelberg* eligitur anno Domini 1356. sub *Clemente VI.* Pont. Max. Sedit plerumq; in arce *Hillernmontana*, hodie *Burghalden* dicta. Ibat plerumq; in arce indutus tunica, cui pilosa crumena semper ad latus pendeat; ita solebat singulis diebus eques descendere ex arce in coenobium & ibi in omnium Sanctorum templo sacrum audire. Accidit autem aliquando, ut descendente *Abbate* & custodibus arcis non admodum fideliter vigilantibus, arx praeter spem aut expectationem *Abbatis*, nihil violentum metuentis, a civibus circa vesperam occuparetur & direpta everteretur ipso die *S. Martini*, cum invitati fuissent omnes senatores & praecipui cives ad peragenda solenni pompa & opiparo convivio vinosa Christianorum festa, *Martinalia*. Abbas, in arcem rediens de templo, ab ingratis convivis suis deprehensus, statim dejectus dicitur e gradibus a duobus civibus, *Bustaro* & seniore *Otocaro*, sed elapsus est fuga ad *Schweighusium*, ubi conscenso equo rustico, concomitantibus eum aliquibus ministris, *Isnam* adhuc ea nocte pervenit incolumis. In hac seditiosa arcis eversione amissa est arca plena literis & diplomatibus, quam cives incendio delerunt. Postero die eligebant sibi *Campidonenses* primum *Consulem*, *Henricum Scultetum*, qui etiam diem hunc postea diu solennem & magistratibus novis creandis dicatum, quasi festum diem habuere ad tempora usq; *Abbatis*, *Joannis de Riethem*. *Causa* hujus rebellionis ac foedae vastationis haec civibus in ore erat, quod ab *Abbatis* servis ac ministerialibus filiae civium vi in arcem pertractae & viatae fuissent. *Abbas Henricus* re ad *Caesarem Carolum IV.* delata

Campidonium in dominum suum seditiosum.

Martinalia in felicia.

Primus Consul Campidoni electus.

Petulantiam inisteriorum seditiosis causa.

Henricus

Chronologia

Monasterio

Sancti Martini

S. III

Ratio e-
versi Ca-
stri Burg-
balden.

lata effecit, ut S. P. Q. Campidonensis & magnam multam nu-
merare, & arcem libere reddere Abbati cogeretur, sive reedifican-
dam eam, sive ita desertam relinquendam; quam tamen paulo
post idem Abbas reipubl. prædictæ in univ. vendidit. Obiit
anno 1382.

Discors
electio,
pernicio-
sa.

47. *Fridericus ab Hirsdorff* successit Henrico anno Christi
1382. Erat quietus quidem, sed cœnobio non admodum utilis
gubernator; pacis cum Campidonensibus vicinis conservandæ
per studiosus, & qui illis, semper cœnobio aliquid abradentibus,
aut parum aut omnino non restitit. Erat contra eum electus ab
aliqua parte conventualium, nobilis ac doctus vir, *Pilegrinus à*
Nordholtz. Hæc disceptatio valde noxia ac perniciofa fuit Ab-
batia, quæ durante tali schismate passa est jacturam 5000. au-
reorum. Hic ipse Abbas fecit se confirmari ab Episcopo Con-
stantiensi, contra sua privilegia. Erat enim exemptus antea ab om-
ni jugo Episcopali, & sub solius Rom. Pontificis imperio. Obiit
altero, competitore videlicet suo cedente, anno Domini 1405.

48. *Fridericus à Loubenberg*, sapientissimus nobilis, eligitur
anno Domini 1405. Legitur fuisse magnus cœnobii benefactor.
Interfuit Conciliis, Constantiensi & Basiliensi, in quibus omnia
privilegia fecit renovari & denuo confirmari. Obiit anno 1434.

49. *Pilgrinus à Werdnaw* eligitur anno 1434. Præfuit lauda-
biliter & cum summa utilitate annis 17. Auxit & ditavit prudenti
gubernatione sua monasterium. Obiit anno 1451. Sepelitur pro-
pe chorum.

50. *Gerwicus à Simmetingen*, magnus, crassus ac pinguis vir,
nobilissima progenie natus, eligitur anno Domini 1451. Sub eo
pugnatum est in Buchenbergo, ubi Helvetii cœnobio Campi-
donensi cædebant & interficiebant centum viros, horumq; du-
cem, Walterum de Hohenneck, præfectum cœnobii, in arce
Abbatis Wolckenburgo habitantem. Sub eo ipso Abbate cœ-
pit latina schola Campidonensis. Resignavit Abbatiam Joanni
a Werdenow, post acceptam cladem ab Helvetiis, in vicino col-
le Buchbergenfi. Postea absolvit naturæ debitum anno Do-
mini 1463. Sepelitur in S. Michaelis sacello.

Pugna
Buchber-
gensis.

Initium
Schole
Campido-
nensis.

51. *Joannes*, nobilis à *Werdenow*, eligitur anno Christi 1460. Fuit ædificandi studiosus & amantissimus. Condidit arcem *Lie-*
benthann, prope *Marcam Günsbergensem* sitam, anno Domini *1479*. ex imis fundamentis inceptam: horreum item vicinum *cenobio*, dormitorium, & ambitum magnum, crucis ambitum dictum, balneas & macellum supra flerum. Sub eo inchoata est prima *moletrina*, in qua conficitur papyrus, anno Domini 1477. Non bene conveniebat ei cum *Campidonensibus*, semper novitati studentibus. Sub eo sacellum arcis *Liebenthann* consecratum est anno 1480. in vigilia *Joannis Baptistæ*. Obiit sequente anno 1481. in vigilia *S. Elisæ*. Sepelitur sub eodem saxo, sub quo patruus ejus cubat, *Pilgrinus*. Contendit coram Imperatore *Friderico* cum *Campidonensibus* propter feditiosa quædam ipsorum facta. At Imperator *Fridericus* multis privilegiis ac ornamentis illustravit *Campidonensem* rempublicam, quæ ipsis à *Maximiliano* postea confirmata sunt, cujus mandato *S. P. Q.* cogitur dare singulis annis *Abbati Campidonensi* pro suis juribus in die *S. Jacobi* ducentos aureos *Rhenenses*.

52. *Joannes à Riethelm*, bonæ ac nobilis profapia vir, Princeps ac Dominus *Campidonensis*, electus ac designatus est ipsa die *S. Elisabethæ*, anno Domini 1481. Præfuit pacifice & laudabiliter annis viginti sex. Pacavit & composuit omnes dissensiones antea habitas cum *S. P. Q. Campidonensi*. Emit *Hohen-*
thann, castrum *Leutkirchiano* oppido vicinum. Erat omnibus Principibus charus, quibus & utilis fuit. Reduxit is *cenobium* immediate sub *Rom. Pontificis* jurisdictionem & tuitionem. Condidit etiam partem magni ambitus, ab antecessore incepti, *Palatium*, item *Abbatiam*, dormitorium & ligneum organum. Obiit tandem anno Domini 1507. in vigilia *S. Galli*, *Ulmæ* in ædibus *Doctoris*, *Joannis Stockheri*, excellentis ac celeberrimi medici. Revehitur sequenti *Dominica* die *Campidonum*, & honorifice ibi in *crypta* sub sacello *S. Sebastiani* sepelitur, cum quatuor his versibus elegiacis, marmori in parietemposito incisus:

Lie-
bann.
Papi-
muel.

Campido-
na Civi-
tas privi-
legiatur.

Hoben-
thann.

Joannes
Stockbe-
rns, me-
dicus.

Paulofij

Chronologi
Monasterio

Genital

S. M

.ODAT in *Abbas Joannes*, fama super æthera notus, anno
 .nd. *Parvo hoc, ne dubita, contumilov lapide*
 *De Rietheim dictus, vita & virtute probatus,*
 *Emorior: Requies sit, rogo, dic anime!*
 Confecutus est ab Imperatore Friderico III. potestatem faci-
 endi pontis super Herum, supra Leubas.
 *Joannes Rudolphus*, à Reittnow, eximie doctus & nobilis-
 simus heros, eligitur die Lunæ, post S. Galli festum, anno Do-
 mini 1507. Præfuit 16. annis. Obiit peste grassante per totam
 Algoviam, Dominica Exaudi, anno Domini 1523. Emit à cive
 quodam Memmingensi arcem Schwäbelbergensem amoenissi-
 mam & in elegantissimo lacu sitam.
 *Sebastianus à Breitenstein*, nobilissimus heros, eligitur die Lu-
 næ ante Pentecostes festum, anno Domini 1523. sub Adriano VI.
 Pontifice, & Carolo V. Imperatore. Contra hunc tota seditiosa
 fuit provincia anno 1525. quæ occupavit cœnobium, eje-
 ctis inde cœnobarum ministris, idq; diripuit & vastavit misere, nec
 clavum parieti relinquens integram; imagines verò & ornamen-
 ta ecclesiarum lacerans & confringens. Abbas cum suis in arcem
 Liebenthann confugit, auferens secum omnia clivodia, auri que
 & argenti ornamenta & munera. Rustici omnes arcem diripue-
 runt & fregerunt, Liebenthannio etiam non parcentes, ubi Ab-
 bas agricolis sese certis conditionibus deditit: qui Campidonum
 ductus & ibi detentus est, data exigua pensione de annuis pro-
 ventibus. Coactus vero est etiam vendere seditiosis civibus om-
 nia jura, in urbem prius habita, pro 32. millibus aureorum nu-
 mum. Postea etiam circumjacentia cœnobia omnia eodem mo-
 do direpta & incensa sunt, donec tandem poenas dederunt agri-
 colæ motæ seditionis, cæsi nimirum à Suevico foedere. Iste Do-
 minus à Breitenstein reedificavit arcem vastatam, Liebenthann,
 Wolckenburgum, & Hohenthann. Arcem verò Sultzber-
 gensem, supra Campidonum ad ejusdem nominis lacum sitam,
 cum attinenti is emit à Nobilibus viris de Schellenberg. Obiit
 podagra jam septuagenarius 8. Junii anno 1536. cum præfu-
 isset annis 12. summa cum laude & virtute.

Schwa-
belberg,
arx.

Seditio
Rustica.

Sultzberg.

55. *Wolfgangus*, a viridi lapide, vulgo Grunenstein, nobilis vir, optimo loco natus, eximie doctus, prudentiæ vero & sapientiæ laude insignis, pacis & publicæ tranquillitatis conservandæ studio nemini mortalium secundus, corporis procerus & vere heroica statura præditus, heros pius & optimus, assumitur in coadjutorem prædecessoris Sebastiani anno Domini 1534. & post ejus mortem in Abbatem ac Principem Campidonensem anno Christi 1536. Is architectonicæ & plantandarum arborum, extirpandarumq; plantarum studiosissimus est, Dominus mitis, pacificus, ac suis subditis clemens & propitius, quibus omnibus vicissim longe est charissimus. Interfuit Carolini Comitii omnibus. Adornavit sibi ipsi tumulum in media Campidonensi Ecclesia marmoreum cum tali epigraphæ: SALVE VIATOR, ET NOLI TERRERI: COMMVNIS HÆC EST QVAM ASPICIS MORTALITATIS NOSTRÆ FACIES. SED QVI SIM REQVIRIS: FVI, NON SVM: ES, NON ERIS: NEC EGO TE IN TENEBRIS NO SCERE POSSVM, SED VT TE IPSVM NOSCAS, RO GO. VALE NOVISSIMORVM TVORVM NVNQVAM IMMEMOR, VT NON PECCES, ET MORIARIS PERPETIM.

Præest adhuc laudabiliter & summa cum virtute, hoc curren te Jubilæo 1550.

Seruet eum, fortunet eum Pater omnibus æquis,

Et nihil in vita triste videre sinat:

Educatq; senem cœlestis in atria regni,

In quo talibus est mansio facta viris.

Extant vero & aliorum quorundam ejusdem cœnobii Abbatum nomina, qui, quod vel non diu præfuerint, vel exauthorati sint, non recensentur in catalogo. Horum memoriam tamen huic operi inferendam censuimus propter familias, ex quibus nati fuerunt. Nominantur vero hi.

Elolphus Selder, de Radenagkhern.

Ringrinus Freydich, ab Heidelbergæ.

Rudolphus Majus, a Ihesuskircho.

Guido

Wolfgangij
Chronologi
Monasterio
in Germania
S. III

1534
1536

1550

Guido Ritznerus sub synodo Constantiensi præfuisse legitur anno Christi 1416.

Theodanus Reiserus, à Missdorff, qui veterem coenobii coronam fecisse legitur.

Irminhardus Lattnerus, à Wald.

Aigilolphus Trappius, Buticamensis.

Giselfridus Heertericus, à Suddfeld.

Wernherus mortuus inventus in arce Kalbs-augusta, in qua maximi postea à malis spiritibus tumultus auditi sunt.

Otho primus vel Tatto, Hagenoensis.

Almonius Romanus vel Raumerus, à Daborz Weyler, exauthoratur.

Egilbertus Ablasser, à Richfus.

Luzel-
burg.

Hantogerus Ebnerus, ab Hochholtz, exauthoratur. Sub eo Luzelburgum, pulcherrimum & vicinum coenobio castrum, vastatum est, ad quod ibatur per insignem ac miraculosum pontem ab arce Hillermontana.

Enselbrechtus, ab Heidburg.

Caromannus Humpisus à Ragusio, sub quo Campimontanum castrum vastatum est, quod prope Buchbergum situm erat.

Helmsosus Hagendornius, ab Inferiore valle.

Radegerus vel Rannigerus Feldeck, à Rogefurto.

Sigilbertus Feylberger, à Rinnenfluch.

Per hos vel exauthoratos vel alioqui cito decedentes Abbates plurimum decessit Abbatia, quæ sub illis ipsis amisit pagum etiam Grunenfurtensem (hodie Memmingam civitatem vocant) & inferius Sundhofenium, insignem etiam villam.

Comita-
tus Heb-
burgenfis.

CASTELIUM sive Castellum, **Castell**/triplex olim castrum, ab omni parte densissimis nemoribus cinctum, & à quodam Ernesto Duce (cujus infra posteritas recensetur) conditum, in Castellano monte, vulgo Castellberg, à tribus castellis dicto, in quibus hodie adhuc visuntur tres fontes & trium sacellorum fragmenta & rudera: nunc vero præclarum ac magnificum, olim equidem etiam opulentissimum (habuit enim Comitatum Hebur-